

statim seu determinate ad solutionem tributi. Et hæc etiam est evidens eisdem fere rationibus; tum quia obligatio hæc pendet ex voluntate principis; ipse autem princeps satis per talia verba declarat nolle se obligare absolute, sed tantum sub prædicta conditione seu disjunctione: tum etiam quia non est major ratio de hac materia quam de aliis; in aliis vero lex illa non obligat in conscientia nisi modo dicto, ut supra ostensum est: ergo neque in ista.

12. Statim vero insurgit dubitatio supra etiam de lege poenali generatim tractata, an leges tributorum adjicientes poenam, ut regulariter feruntur, intelligendæ sint juxta hanc ultimam partem, vel juxta secundam. Sed de hoc puncto dicemus plura paulo post in c. 15; nunc breviter censeo leges has poenales imponentes tributa sub poena esse mixtas, ac subinde per se obligare in conscientia ad solutionem tributi. Ratio est, quia verba legis ordinariæ sunt præceptiva, sicut sunt communiter in aliis legibus moralibus, quæ ad bonum regimen reipublicæ ordinantur, ideoque obligant in conscientia, non obstante adjectione poenæ. Secundo, quia intentio talis esse præsumitur, nisi aliud certo constet morali certitudine, quia (ut dicebam) per poenam volunt principes augere efficaciam legis, non minuire; et quia per se primo intendunt in effectum consequi tributum sibi et communi bono reipublicæ necessarium. Unde est tertia ratio, quia materia talium legum maxime postulat hujusmodi obligationem, quia est materia justitiæ, et in re gravissima, ac pertinente ad commune bonum; imo necessaria moraliter ad reipublicæ conservationem et gubernationem; ergo illi materiæ quasi debetur et conaturale est præceptum per se et absolute obligans, et non tantum sub conditionali pacto sustinendi poenam, quod est valde per accidens, et de se insufficiens ad gravissimum tributorum finem. Ideoque censeo non esse regulandas has leges per illas, quæ sub poena prohibent venari, aut ligna cedere, aut aliquid e regno extrahere: nam hæc prohibitiones et similes sunt multo minoris momenti, ordinariæ loquendo et extra causas gravis necessitatis regni, et ad illas sufficit illa coactio, vel compensatio quasi contingens per poenam. Tributorum autem impositio et solutio est per legem intenta tanquam per se debita, et necessaria reipublicæ ac principi, et ideo ex se postulat proprium ac directum præceptum, per se et absolute obligans, etiamsi poenæ accumulatur. Quapropter non existimo suffice-

re quod lex loquatur conditionali modo, si quis non solverit tale tributum tali poena puniatur, ut illo modo intelligatur. Nam talis lex supponit necessario tale tributum esse debitum, et ideo moraliter nunquam ponitur illa conditionalis, nisi post impositionem tributi, quæ fit per absolutum præceptum, vel saltem per taxationem quantitatis solvendæ, qua facta, naturalis lex justitiæ obligat ad tributum solvendum, etiam ante adjectionem poenæ: illa autem obligatio non adimitur propter conditionalem illam adjunctam, ut ex dictis constat. Illa ergo non sufficit in tali materia ad præsumendum legem esse pure poenalem; sed oportet ut vel clarioribus verbis declaratur, vel ex aliis circumstantiis, aut certa consuetudine colligatur.

13. *Fit satis argumentis contrariæ sententiæ.* — Ad fundamentum ergo contrariæ sententiæ, respondetur ad summum probare tertiam partem assertionis nostræ; quia vero simpliciter procedit contra secundam, et intendit ex adjectione poenæ inferre ablationem absolutæ obligationis in conscientia, respondetur negando hanc consequentiam; quia non est hoc necessarium ad æquitatem justitiæ, ut ostensum est; quin potius, ad providendum sufficienter justitiæ et æquitati quæ debet servari inter principem et subditos, necessarium est ut subditi simpliciter et absolute obligentur in conscientia ad justa tributa solvenda, et ut rebelles distincta poena puniantur. Alia enim est justitia vindicativa a commutativa, et prior obligatio ad commutativam pertinet, et transgressio ejus constituit novum reatum, seu debitum in ordine ad justitiam vindicativam. Neque etiam de intentione legislatoris aliud præsumi potest ex vi solius comminationis poenæ, ut ostensum est, neque ulla inæqualitas, vel nimius rigor resultat in his legibus ex illo solo capite, magis quam in aliis omnibus quæ præcipiendo poenam transgressoribus minantur; vel quam in contractibus justis et æqualibus, quibus nihilominus adjicitur poena, ultra interesse, ut dictum est.

CAPUT XIV.

DE POTESTATE NECESSARIA UT LEX TRIBUTUM IMPOSUENS JUSTA SIT.

1. Quoniam obligatio legis ex illius justitia maxime pendet, et justitia tributorum multas condiciones requirit, ideo illas explicare necessarium est, quod discurrendo per causas tributorum optime fiet. Quod ergo ad efficientem

spectat, certum est necessariam esse potestatem ad imponendum tributum in eo qui hujusmodi legem statuit, alioqui non erit justa, sed tyrannica. Conclusio est clara, quia ubi deest potestas, actus non potest esse validus, nedum justus. Item quia superior non potest præcipere, nec inferior tenetur obedire: hæc enim correlativa sunt; denique, quia prima conditio necessaria ad justitiam legis est potestas ferendi illam, ut supra visum est: ergo eadem requiritur cum proportionem in lege imponente tributum. Imo hic considerandum est non omnem potestatem quæ sufficit ad condendam legem in aliis materiis, sufficere ad imponenda tributa; nam leges potest interdum condere princeps non supremus, aut civitas, aut magistratus juxta sui muneris institutionem; tributum autem imponere non potest, nisi supremus princeps non recognoscens superiorem in suo ordine, ut ex dicendis constabit; et ideo specialiter requiritur hæc conditio in legibus tributorum, præter conditionem omnibus legibus generalem.

2. *Tributum non potest imponere nisi princeps supremus non recognoscens superiorem in suo ordine.* — Statim vero occurrit inquirendum quinam habeant in republica hanc potestatem. Respondeo, quod attinet ad leges civiles, primum omnium esse hanc potestatem in imperatore, l. 1 et 2, C. Nova vectigalia institui non posse, ubi in lege secunda additur, civitates non habere hanc potestatem, et idem habetur in l. *vectigalia*, ff. de publican. et vectigal. Intelligendum autem est nunc durare hanc potestatem in imperatore in terris imperii in quibus supremam potestatem retinet, non tamen in aliis regnis, seu provinciis in quibus jam illam amisit, juxta dicta in libro præcedenti. Unde consequenter addendum est secundo hanc potestatem esse in regibus, qui in suprema potestate æquiparantur imperatoribus, ut supra dictum est, et ita habetur etiam in legibus horum regnorum, et utrumque dicitur in cap. *Super quibusdam*, de Verb. significat., licet Hostiens. ibi id neget, et per reges exponat regem Romanorum, contra vim verborum, et contra Glossam, et sine ullo fundamento; imo ulterius extendi hoc debet ad principes, ut habetur in cap. *Innovamus*, de Censib.; et sentit Glos. ibi, in d. l. *Vectigalia*, et in cap. *Si quis Romipetas*, 24, q. 3. Intelligi autem debet de his principibus qui, licet reges non appellantur, tamen habent supremam jurisdictionem in temporalibus. Et sic est facilis ratio, quia ad ponendum tributum magis at-

tenditur jurisdictio quam nomen, vel alia dignitatis conditio; item, quia hi principes possunt indicare bellum, et administrare rem publicam independentem ab alio superiori temporali; sed ad hoc sunt necessaria tributa. Quarto, vero addimus reliquos omnes qui recognoscunt superiorem in temporalibus non posse tributa imponere, ut ex eisdem legibus colligitur, et docent Deci., cons. 534, et Rebuffus in expositione Bullæ Cœnæ, art. 3; et ratio esse videtur, quia potestas agentis debet esse proportionata fini; finis autem tributorum est commune bonum reipublicæ, et ideo potestas imperandi illa ei tantum data est, qui supremam curam habet totius reipublicæ. Item hæc potestas per se primo et ex natura rei erat in republica, unde illæ respublicæ, quæ nunc sunt supræmæ, illam potestatem in se retinent, quia inter reges et principes connumerantur: ergo ubi respublica transtulit suam potestatem in principem, solum invenitur hæc potestas in illo principe, qui supremam reipublicæ potestatem habet.

3. *Nisi sit opus ad spirituales finem, non posse Papam imponere tributa terris non suis temporaliter, sicut nec concilium ullum.* — Sed quæret aliquis an Pontifex, vel concilium, vel alia potestas ecclesiastica habeat hoc jus. Aliqui enim dicunt concilium generale habere hanc potestatem quia potest eam alii concedere, ut significatur in c. *Super quibusdam*, § *Præterea*, de Verborum significat. Respondetur tamen Pontificem, quatenus temporalis princeps est, posse in suis terris imponere tributa, quia revera ibi est supremus in temporalibus per directum dominium et potestatem. In aliis vero regnis, sicut non habet dominium vel temporalem jurisdictionem directe, ita nec potest per se et directe imponere temporalia tributa, quia hic est actus illius potestatis. Quod a fortiori verum est de quocumque inferiori Prælato ecclesiastico, vel concilio etiam generali, cujus potestas ex Pontifice maxime pendet. Nihilominus tamen, si ad spirituales finem sit necessarium, ut ad defendendam Ecclesiam ab infidelibus vel hæreticis, potest summus Pontifex imponere temporalia tributa, quia sub ea ratione habet supremam potestatem etiam in temporalibus. Potest autem directe summus Pontifex propter eundem finem, vel in subsidium sibi necessarium tributa imponere super Ecclesiæ bona, sicut tractando de Decimis diximus posse partem decimarum sibi reservare, quia in illo ordine per se et directe est supremus princeps totius Ecclesiæ, et supre-

mus dispensator honorum ejus, et ideo supremam etiam in hoc habet potestatem. Aliqui vero Episcopi hoc non possunt, cap. *Prohibemus*, de Censib. Concilium autem etiam generale in tantum id poterit, in quantum fuerit a Pontifice concessum, vel approbatum. Potest præterea Ecclesia declarare qui principes temporales possunt imponere tributa, et prohibere ne alii imponant, ut fecit Concilium Lateran. in dicto cap. *Innovamus*, et ita etiam intelligitur dictum cap. *Super quibusdam*. Et singulis annis sub gravissima censura fit similis prohibitio in Bulla Cœnæ.

4. *Illā tributa etiam esse justa de quibus non constat a quibus sint imposita.*—Additur vero, in dicto cap. *Super quibusdam*, non solum illa esse justa tributa de quibus constat esse imposita a regibus vel principibus supremis, sed etiam illa de quibus non constat a quo imposita sint, dummodo ex consuetudine, de cujus initio non extat memoria, sint introducta. Cujus ratio est, quia, ubi nec constat nec constare potest de injustitia, secundum jus præsumitur justitia; in hujusmodi autem casu constare non potest tale tributum sine legitima potestate esse impositum; imo, cum adeo prævaluerit ut per longissimum tempus a tota communitate solutum sit, præsumitur juste incepisse. Item, quia præscriptio præsertim immemorialis dat jus sufficiens: illa autem consuetudo inducit præscriptionem, et ideo diximus requiri bonam fidem, quia in omni præscriptione necessaria est.

5. Occurrit autem hic grave dubium, an idem dicendum sit de potestate imponendi novum tributum, ex immemoriali consuetudine, etiamsi is qui illud imponit non sit supremus in temporalibus. Est enim attente considerandum hæc duo esse valde distincta, imponere tributum vel exigere jam impositum; et similiter aliud esse habere consuetudinem immemoriam exigendi aliquod tributum, quod ex eadem consuetudine supponitur jam impositum; aliud vero habere consuetudinem immemoriam imponendi nova tributa, et consequenter illa postea exigendi. Hæc enim potestas sine dubio est multo major, ut bene notarunt Castro, l. 1, cap. 10, et Medin., dict. cap. 13, § *Sed forte*, tum quia est potestas legislativa et dominativa, et extenditur ad plures actus, et ad novas impositiones faciendas; alia vero est quoddam particulare jus obtinendi seu luerandi pensionem quæ supponitur jam imposita; unde etiam certum mihi est ex hac posteriori consuetudine non bene inferri prio-

rem. Multi enim principes inferiores, imo et privatae personæ habent ex consuetudine jus exigendi aliqua tributa antiqua, vel a rege imposita, vel de quorum initio aut auctore non constat, qui non habent potestatem vel consuetudinem imponendi nova tributa. Ideoque licet ratio facta probet antiquum tributum de cujus initio non est memoria, reputari justum et legitima potestate introductum, et ideo exigi juste posse a quocumque habente titulum vel consuetudinem legitimam obtinendi talem pensionem, adhuc superest quæstio an nova impositio tributi fieri juste possit a non supremo principe allegante consuetudinem immemoriam imponendi tributa.

6. *Sententia affirmans idem esse de potestate imponendi novum tributum ex immemoriali consuetudine, licet imponens non sit supremus dominus.*—In qua dubitatione Medina, dicto c. de Rest., c. 13, § *Ut igitur*, affirmat tale tributum justum esse. Fundatur præcipue in d. c. *Super quibusdam*, quod longe aliter intelligit quam a nobis declaratum sit. Ex illo enim capite colligit auctoritatem imponendi tributa esse in imperatore, rege, Papa, Concilio, et in antiqua consuetudine. Et ita sentit Pontificem in eo textu principaliter loqui de novis tributis, quæ imponuntur ex vi potestatis præscriptæ per consuetudinem sine alio titulo, licet paulo inferius, § *de Veteribus*, fateatur etiam esse licitum exigere tributa antiqua in sola immemoriali consuetudine fundata, quia tunc pro recipientibus juste præsumitur, et in § *Sed forte*, objiciendo contra hoc dictum c. *Super quibusdam*, respondet non esse contrarium, sed potius approbando illa nova tributa, innuere, (ait) *etiam hæc antiqua juste recipi posse*. Potest pro hac sententia citari Panorm. in d. c. *Innovamus*, n. 6, quatenus dicit potestatem hanc imponendi tributa posse præscriptione acquiri, et jura principis posse consuetudine obtineri, de cujus initio non extet memoria, juxta doctrinam Bart. in l. *Infamem*, ff. de Publ. jud., et Inn. in c. *Ego*, P. de Fide instr. Expressius id docet Pan. in d. c. *Super quibusdam*, num. 1 et 2. Ex quo videtur Medina sumpsisse illius textus interpretationem. Eandem sententiam tenet D. Anton. in 2 p., t. 1, c. 13, § 8, in fin., ubi in speciali loquitur de quibusdam impositionibus particularibus, quas aliquæ civitates facere solent pro suis tantum membris, ut ad communes necessitates contribuant, quia, licet hoc, inquit, *ordinarie non possint facere sine licentia principis, secus erit si ita facere consueverint ante hominum memoriam*.

7. Ratione potest hæc sententia suaderi, primo, quia eadem ratio esse videtur quoad præscriptionem de jure petendi tributum antiquum, et de potestate imponendi novum, quantum spectat ad possibilitatem acquirendi illud per consuetudinem: nam utrumque est proprium principis: ergo si unum comparatur præscriptione, cur non aliud? Nam quod differant secundum magis et minus, parum refert, cum hæc differentia accidentaliter sit, et in multis aliis reperiat, quæ contra principem præscribi possunt: ut sunt jurisdictio, quæ per consuetudinem acquiritur, etiamsi propria regis sit, et potestas legitimandi spuriis, restituendi famam infamibus, creandi tabelliones, et similia, quæ Inn. supra notat, præscribuntur contra principem, cum non videantur minora quam potestas imponendi tributum. Unde confirmatur, quia præscriptio temporis immemorialis æquiparatur privilegio concesso a principe ex certa scientia, teste Bald. sub titulo: Quæ sint regalia in usibus feud.; sed per privilegium principis potest inferior imponere tributum, ut ex allegatis juribus colligitur, quæ dicunt neminem posse imponere tributum nisi principem, vel qui ab eo habuerit facultatem; ergo eadem potestas poterit per immemoriam præscriptionem acquiri. Probatur consequentia simul cum majori, quia per talem consuetudinem præsumitur illam fuisse ortam ex aliquo simili privilegio: et ita vel ipsa consuetudo confert potestatem, vel saltem probat sufficienter illam, quatenus est ratio sufficiens ad præsumendam justam originem ejus. Unde Glossa etiam in dicto c. *Super quibusdam*, verb. *Non extat*, dixit consuetudinem, cujus non extat memoria, jus sive privilegium inducere.

8. *Sententia negativa.*—Contrariam nihilominus sententiam tenet Castr., l. 1 de Lege pœnali, cap. 10, dicitque antiquam consuetudinem de cujus initio non extet memoria valere ad exigendum tributa quæ ab illo tempore antiquo sunt introducta, non vero ad nova imponenda. Probat primo, quia dictum c. *Super quibusdam* loquitur de antiquis tributis, non de novis per antiquam consuetudinem impositis. In quo fundamento duo consideranda et distinguenda mihi videntur; unum est intelligentia illius textus; aliud est illatio quæ ex illo fit. In primo hæc posterior interpretatio verior videtur; nam in textu non dicitur consuetudinem sufficere ad imponendum tributum, nec ad potestatem imponendi tributum, sed dicitur illa tributa esse interdicta, quæ non

apparet imperatorum, vel regum, vel Lateranensis Concilii largitione concessa, vel antiqua consuetudine, cujus non extet memoria, introducta. Loquitur ergo aperte Pontifex in his ultimis verbis de tributis introductis per antiquam consuetudinem, et de illis solis. Unde non video cur dixerit Medina hoc innui in illo textu, et non potius hoc solum expresse affirmari, et quidquid aliud inde affirmetur, esse per illationem, non quia in textu contineatur. Nec etiam video cur dixerit idem auctor cum Panorm. numerari in eo textu quatuor habentes auctoritatem ad imponenda tributa, scilicet, imperatorem, regem, Concilium (utique cum Pontifice) et consuetudinem; nam ibi dicitur consuetudinem non dare auctoritatem ad imponendum tributum, sed dare auctoritatem tributo, quod hodie impositum invenitur, quod sine dubio longe diversum est, ut recte dixit Castro. Medina etiam non negat hæc duo esse diversa; male autem conatur litteram illius textus ad utrumque accommodare, et magis in eo fallitur, quod textum principaliter accommodat ad eam partem quæ in littera ejus non continetur.

9. Alterum vero, quod ex hac vera interpretatione colligit Castro, non videtur mihi ex illo textu probari positive, sed ad summum negative; quia, licet ibi non affirmetur consuetudinem immemoriam posse dare potestatem imponendi tributa, non tamen negatur: ergo inde non potest colligi testimonium positivum contra priorem sententiam, sed solum negativum, hoc modo: nemo habet potestatem imponendi tributa, nisi qui in illo textu numerantur; sed ibi non datur hæc potestas consuetudini: ergo. Et simile videtur esse aliud argumentum quod Castro sumit ex dicto c. *Innovamus*, quamvis ipse dicat quod in eo auctoritas imponendi nova tributa aperte negatur antiquæ consuetudini, quia expresse ibi dicitur *solum regibus et principibus esse concessam*: unde ex illa exclusiva *solum*, videtur colligere, negari hoc consuetudini. Sed in rigore non est solida illatio, tum quia dictio exclusiva non excludit ea quæ sunt paria, sicut ibi non excluditur Concilium; tum quia etiam quia dictio exclusiva non excludit concomitantia; hujusmodi autem dici potest consuetudo, quia illa in tantum habet vim in quantum præsumitur in auctoritate principis fundata. Unde addo in illo textu non haberi verba nec modum loquendi quem Castro intendit, sed verba ejus sunt: *Nec quisquam alicui novas pedagiorum exactiones sine auctoritate, et consensu*